



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Decima quinta Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

dimenta Quadragesimæ ac Paschatis, maiores nostros natalem in diem eleuationis transtulisse. Aut fortassis est dies relationis. Historia enim habet mense Iunio relatum esse ex Binchio. Modò festum eius celebratur feria tertia Pentecostes, à clero Valencenensi, & per Octauam. Singulis etiam hebbomadibus, feria tertia, & fermè quotidie ad deuotionem peregrinantium sit Missæ sacrificium, ad honorem sancti Drogonis, & in Collecta inuocatur Deus, vt intercessione sancti Drogonis amici sui, ab infirmitatibus mentis & corporis liberemur, gaudijsque æternis perfruamur.

*Ex informatione Egidij Froisurt.*

Quod ad Espinoy<sup>a</sup> attinet, Latine est Spincetum, celebris pagus, principatus titulo decoratus, habens sacellum in honorem Sanctorum Drogonis & Petri à Lucemburgo dicatum, idque in eo solo exstructum, quod eidem Drogoni dicitur hæreditarium fuisse, & in quo casu matris vtero in lucem est editus. Vbi festum eius celebratur die secunda Iulij.

*a Distat non procul à Bassa Orientem versus. Sunt cum in Belgio & alij eiusdem nominis pagi.*

### Decima quinta Iunij.

*De sancto Landelino fundatore Crispinij.*

*Ex historia eius, qua vtitur Crispiniense monasterium.*

**I**N villa que dicitur Crispinium, super fluuium *Hon.* transitus sanctissimi ac beatissimi patris LANDELINI. Qui in villa quam Vallem vocant, in territorio Cameracensi, ortus est ex nobilissimo

liffimo Francorum genere, temporibus Dagoberti regis, & à beato Autberto episcopo Camerafi, qui eum de sacro fonte susceperat, literis & pijs moribus est imbutus. Seductus tamen à quibusdam cognatis, aufugit, factusque est nefarius prædo, & nè nomine proderetur, vocauit se Maurosium. Sed tandem diuina potentia preces sancti Pontificis exaudiuit, atque ei & piæ matri ecclesiæ errabundum suum filium reddidit. Qui postmodum excoctus diuturna pœnitentia, ab eodem Pontifice & tonsus est & militia cælestis chlamydem accepit. Cumque sanctitate excreuisset, etiam presbyterij honore sublimatus est. Post trinam autem ad limina Apostolorum profectionem atque reditum, quatuor construxit monasteria, Lobium, Alnam, Waslariam, & quartum ad fluuium *Hon*, vbi fontem crispantium vndarum precibus impetrauit: ideoque locum Crispinium appellauit, eundemque vomere diuinæ prædicationis cum sanctis suis discipulis Adelino & Domitiano excoluit, præuia tamen auctoritate Martini Romani Pontificis. In natali die historiam habet Surius tomo tertio. Quam etiam habet Crispinium, magis extensam, per Philippum secundum abbatem Bonæ-spei, qui sancto Bernardo fuit familiaris. Permisit autem aliquando iustus & patiens redditor Crispinium monasterium militare virorum beneficio infiscari, nostraque memoria primo iconomachorum furore turpiter prophanari.

Ex Chroni-  
cis Camera-  
censium,  
lib. 1. c. 67.

P S

Decima